

SECTIO II^a

DE OFFICIO DIVINO.

525.— Officium divinum complectitur preces, ritus ac cæremonias quæ Ecclesia ordinavit, indixitque ad cultum publicum.

Remittimus ad tractatus speciales de *Re Liturgica*, quæ ad ritus sacrosancti Sacrificii, Sacramentorum, atque Benedictionum, pertinent. Dicemus tantummodo, in præsentī sectione, de parte officiorum divinorum quam clerici sacris initiati, et regulares, seu privatim recitant, seu in choro exsequuntur, et quæ nomen *horarum canonicarum* usu sortita est. Triplex erit articulus : 1^{us} de origine atque forma divini officii ; 2^{us} de jure formam divini officii statuendi, aut immutandi ; 3^{us} de regulis servandis in recitatione privata, et in cantu publico divini officii¹.

ARTICULUS I. — DE ORIGINE ET FORMA DIVINI OFFICII.

526. — 1^o *Quibus elementis constet officium divinum, et in quot partes distribuatur?*

¹ Cf. Zaccaria, *Bibliotheca ritualis*, 5 vol. in-4^o, ubi indicantur omnes libri liturgici Ecclesie, tam occidentalis quam orientalis; referuntur auctores qui de re liturgica scripserunt; et tandem exponuntur ritus S. Sacrificii, adjecta ad calcem dissertatione *de libro diurno*, qui non parum inservit ad explanationem usuum Ecclesie Rom. sæculis v^o, vi^o et vii^o. — Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. II; et *de sacra Psalmodia*. — Azavedo, *Exercitationes liturgicæ de divino officio*, in-4^o. — Suarez *de Horis canonicis*.

I. Divinum officium duobus ex elementis constat : nimirum, ex Scriptura sacra, et verbis ab Ecclesia compositis. E sacris Scripturis depromuntur psalmi, cantica veteris et novi Testamenti, capitula, lectiones... Ecclesia adjecit hymnos, versus, antiphonas, responsalia, lectiones ex vita vel scriptis sanctorum, orationes : frequenter tamen in antiphonis, responsalibus et aliis hujusmodi textus Scripturarum adhibentur atque simul cum verbis, ut ita dicam, ecclesiasticis, in unum commiscentur.

II. In septem, vel etiam octo partes ordinatur, quæ sunt : Nocturnum cum Laudibus, quatuor horæ minores, Vesperæ et Completorium. Singularum horarum canonicarum non idem omnino est modus, quamvis in multis conveniant.

A Nocturno exoritur cursus divini officii. « In Nocturno, » ait Card. Bona, statim post invitorium hymni solent decantari. Vocati enim illico exultamus, et, si quæ sint, torpentia corda excitantur. In Laudibus, Vesperis et Completorio ponuntur psalmi, postea hymni, demum cantica, ut fiat quod scriptum est, *in psalmis, hymnis et canticis* (Coloss., III, 19); cæteris horis hymnus præcedit psalmos, quia curis quotidianis occupatum cor ad dulcedinem divini amoris personante hymnico cantu retrahi debet. Hymnos stantes dicimus, ut in corporis erectione rectitudinem mentis ostendamus. » (*De Psalmodia*, cap. XVI.) Laudes Nocturnum excipiunt eoque nomine nuncupantur quia hæc pars horarum tota fere consistit in persolvendo laudes Deo.

Post Laudes, suo loco veniunt quatuor horæ minores, Prima, Tertia, Sexta et Nona, quæ, sicut aliæ partes officii, hymnis, psalmis et oratione consistunt. Psalmis recitatis cum sua antiphona, qui præest legit capitulum ex sacris Scripturis, et horas consuetis precibus absolvit. Horis quatuor minoribus succedunt Vesperæ, quæ locum aliquatenus supplent sacrificii vespertini, quod Judæi olim offerebant. Tandem officium complet ac

terminat Completorium, oratio scilicet qua fideles, expleto die, Deo grates rependunt, veniam delictorum per diem forte commissorum implorant, divinamque benedictionem in noctem subsequenterem.

527. — Singulis fere horis diei respondent partes officii divini; quod ut melius appareat, sufficet memorasse pristinam divisionem diei, noctisque, apud Judæos et Romanos. Duodecim computabantur horæ diei, juxta illud Evangelii: *nonne duodecim sunt horæ diei*; tres et aliquando quatuor assignabantur vigiliæ noctu, unde Dominus nos sic hortatur ad vigilantiam: *Si (Dominus) venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. . . Nescitis quando Dominus veniet, sero, an nocte, an galli cantu, an mane.* (Ev. S. Joannis, xi, 9; S. Lucæ, xii, 58; S. Marci, xiii, 35.) Porro, sex horæ diurnæ: Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium, respondent tot partibus diei. Prima dicitur ex prima parte diei, quæ ab ortu solis ad nonam horam antemeridianam protenditur; Tertia in altera parte ab hora nona ab meridiem; Sexta a meridie ad horam tertiam; deinde venit Nona, qua absoluta recitantur Vesperæ hora serotina, et Completorium versus occasum diei. Officium item nocturnum, cum laudibus, respondet vigiliis noctis. In noctis officio, unicus erat priscis temporibus nocturnus qui constabat duodecim psalmis, quemadmodum etiam nunc in feriali officio, et in primo nocturno dominicæ fieri solet. Deinde ut totam noctem, quæ diem dominicam et præcipua festa præcedebat, orando transigerent, tres nocturnos invexerunt qui tribus distinctis temporibus noctis recitabantur, dum reliquis diebus semel tantum per noctem orabant. Fervore paulatim tepescente, inceptum est tres illos nocturnos continenter, seu unum post alterum recitari, quin tribus vicibus monachi et clerici ad orandum convenirent. Tandem, ne noctu consurgerent, mos invaluit unum nocturnum diebus feriatis, et tres diebus festis, recitari summo mane, adjectis simul laudibus,

et exinde hæc pars officii matutini nomine appellata est, quia scilicet, una cum laudibus mane recitabatur¹.

528. — II^o *Quomodo divinum officium ordinatum fuerit successu temporum, ab initio Ecclesiæ ad sæculum xv, in eam formam quam hactenus retinuit?*

I. Apostoli tradiderunt fidelibus disciplinam orationis publicæ, eos frequenter in cætum convocando, ubi recitabantur psalmi cum oratione dominicali, et fiebant obsecrationes, prout suggerat Spiritus sanctus. Nescimus utrum certas horas diei noctisque assignaverint orationi, seu publicæ, seu privatæ; conjicere tamen merito possumus ipsos consuevisse preces Deo offerre horis quas mysteria Christi, atque dona effusa sancti Spiritus, quadamtenus sacraverunt; nam *Actus* Apostolorum enarrant Petrum, Joannem, aliosque ascendisse templum ut orarent hora Tertia, Sexta, Nona, quibus scilicet Spiritus sanctus descenderat die Pentecostes, Christus mortuus est, et Petro revelatum fuit mysterium vocationis gentium ad fidem christianam.

II. Sæculis, quæ ætatem apostolicam proxime secuta sunt, secundo nempe, tertio, et quarto, Ecclesia multa ordinavit de officio publico.

Quamdiu furor infidelium in christianos exarsit, fideles conveniebant horis incertis, communius tamen nocte, vel ante solis ortum, ut testatur Plinius Junior in epistola ad Trajanum; unde et hi conventus dicebantur *antelucani*. Cum tamen,

¹ Cf. Merati *Addit. ad Gavantum*, sect. iv, cap. 1. — Magister apostolicus cæremoniarum animadvertibat, in suo voto coram S. Congreg. Rituum anno 1860, hæc tria: *Nocturnum, Nocturnos et Matutinum*, esse ex primitivo et genuino Ecclesiæ loquendi more, res omnino distinctas; *Nocturnum* scilicet simpliciter dictum designare nocturnum unicum feriale, vel primum dominicæ; *Nocturnos* dici pro tribus partibus officii nocturni diebus dominicis et festis. Hinc etiam concludebat Episcopum, dum, juxta Pontificale, præscribit subdiaconis et diaconis recens ordinatis ut recitent *nocturnum talis diei*, significare nocturnum feriale vel dominicæ, constans duodecim psalmis, non vero alterum ex tribus nocturnis festi sanctorum. (*Analecta juris Pontificii*, an. 1860, col. 542 et seq.)

ipso tempore persecutionum, aliqua libertate identidem gaudent, stabilita paulatim fuit disciplina faciendi conventum statis partibus diei. Tertullianus mentionem habet, in libro *de Jejuniiis*, horæ *tertiæ*, *sextæ*, *nonæ* et *vespertinæ* quas apostolicas nominat. S. Cyprianus earumdem horarum meminit in tractatu *de Oratione dominica*; sacratas illas dicit exemplo sanctorum Veteris Testamenti, et multo venerabiliores gratiis quas Deus largitus est Apostolis; quapropter hortatur fideles ut orent hora tertia, sexta, nona, in memoriam mysteriorum quæ mox referebamus; designat insuper horam vespertinam, nocturnam, et matutinam propter alias mysticas significationes. Auctor item *Constitutionum Apostolicarum* ait: « Preca-
« tiones facite mane, tertia hora, ac sexta, et nona, et ves-
« perè, atque ad galli cantum: Mane gratias agentes quod
« illuminavit nos nocte sublata et reddito die: Tertia, quod ea
« hora Pilatus iudicium adversus Dominum pronuntiavit;
« Sexta, quod, ea hora in crucem actus est: Nona, quod tum
« omnia mota et tremefacta sunt, Domino crucifixo... »
Lib. VIII, cap. xxxiv. His partibus orationis S. Benedictus addidit, sæculo v^o, Completorium, cujus rationem explicat in cap. VIII Regularum: « *Septies in die laudem dixi tibi*, ait
« Propheta, qui septennarius numerus a nobis complebitur,
« si Matutini, Primæ, Tertiar, Sextar, Nonar, Vesperar, Com-
« pletoriique tempore, nostrar servitutis officia persolvamus. »

Singulæ partes officii constabant psalmis, hymnis, lectionibus e sacris Scripturis, et orationibus, quas Antistites a traditionibus apostolicis acceperant, quibus et ipsi nonnulla addiderunt, pro ratione temporum. Ex eo enim tempore quo, sedatis persecutionum procellis, libertas plena fuit componendi ordinem cultus publici, maximam curam huic operi primi pastores impenderunt, præsertim sancti Basilius et Chrysostomus in Ecclesia orientali; sancti Ambrosius, Leo, Gelasius, Gregorius, in occidentali. Modum insuper instituerunt psalmos in

Ecclesia recitandi, quam rationem jam in Orientalibus partibus institutam, sanctus Ambrosius in Occidentem induxit, teste sancto Augustino. Theodoretus originem psalmodiæ adseribit Ecclesiæ Antiochenæ sub pontificatu Flaviani, qui primus choros in duas partes divisit, et psalmos alternis vicibus canere suum populum docuit: « Quod quidem, ait, tunc primum
« Antiochiæ inceptum, inde ad reliquos pervasit et ad ultimos
« usque terrarum fines perlatum est. » Liv. II, cap. xxiv. Sanctus autem Augustinus refert sanctum Ambrosium hunc morem introduxisse in Ecclesiam Mediolanensem, quando Justina, Valentiniani Junioris mater, sanctum Episcopum persequebatur, atque pia plebs fidelium cum suo præsule excubabat. « Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem
« orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabes-
« ceret, institutum est, et ex illo in hodiernum retentum,
« multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis, per cætera orbis
« imitantibus. » (*Confessionum* lib. IX, cap. vii.)

Sanctus Ambrosius hymnos composuit, quibus hætenus utimur in Breviario Romano; alios Prudentius poeta fecit. Ecclesiæ orientales retinent hymnos sanctorum Ephrem, Basillii et Gregorii Nazianzeni.

Etsi viros eruditos non lateat quibus progressibus forma liturgica officii, per decursum temporis, perfecta fuerit, vix tamen dubitari potest quin a sæculo quinto ad eum fere modum redacta jam fuerit, quam ad nostram usque ætatem retinet. Hujus rei argumentum suppeditat regula sancti Benedicti; nam verisimillimum est sanctum patriarcham monachorum Occidentis, sibi proposuisse exemplum officii quod in usu erat apud Ecclesiam Romanam. Porro, sanctus Benedictus non solum distribuit horas canonicas in septem partes, sed cuncta eodem fere ordine composuit qui nunc servatur, quod cuique apertum est, ex capite ix regularum.

III. Sanctus Benedictus liberum reliquit abbatibus monasteriorum aliquid immutare in ordinatione divini officii, aliasque

lectiones substituere, si opportunum judicaverint. Eadem libertate utebantur tunc temporis Episcopi, præsertim majorum sedium. Exinde venit rituum varietas, quæ diversis liturgiis originem dedit.

IV. In Ecclesia orientali fuit olim liturgia attributa sancto Jacobo, quam plures eruditi existimant fontem omnium liturgiarum, quæ in Oriente habentur; nimirum liturgiæ Græcorum, Armenorum, Maronitarum, etc., etc., quæ, licet in multis dissimiles, ab eadem tamen origine primitus processerunt. Liturgia *Græca* dicitur liturgia S. Basilii et S. Chrysostomi, quia uterque plures partes divini officii et Missas ordinavit, et alias in forma concisiori contraxit.

Liturgias Græcorum, Armenorum et Maronitarum, S. Apostolica Sedes integras custodiri voluit, postquam libri quibus continentur, fuerunt emendati. SS. Pontifices instituerunt Congregationem specialem præpositam correctioni librorum liturgiarum Ecclesiæ orientalis.

In Occidente, præter liturgiam Romanam, quæ in toto fere patriarchatu Romæ prævaluit, tres aliæ fuerunt, Ambrosiana scilicet, Gallicana et Gothica, seu Mozarabica.

Ambrosiana vulgo adscribitur sancto Barnabæ. Ignoratur vera illius origo: indubium est introductam fuisse in Ecclesia Mediolanensi longe ante pontificatum sancti Ambrosii, cujus tamen nomine designatur, quia sanctus ille antistes multas curas sollicitus adhibuit ut illam emendaret ac perficeret, illamque plurimis hymnis, orationibus, et Missis ditavit. Alexander VI, Constitutione *Rom. Pontificis*, an. 1497 edita, firmavit clero Mediolanensi jus peragendi Missas, Cæremonias, cantus, aliaque officia divina, juxta ritum Ambrosianum, data facultate celebri monasterio urbis, eodem ritu utendi.

Liturgia *Gallicana* venit, juxta alios, ab Ecclesia orientali, ex qua orti fuerant primi præcones fidei qui evangelium in Gallias prædicaverunt, « quæ conjectura probabilitate non caret, » ait Editor operum B. Thomasi, ob quamdam similitudinem

quam præfert cum liturgiis Græcorum¹. Juxta vero alios, nulla alia fuit liturgia quam missæ latinæ, ab exordio Ecclesiæ ad quintum sæculum. Quum autem visum fuerit opportunum ut vetus liturgia resciceretur, et detraherentur ea quæ vel obsoleverant, vel eam longiorem æquo reddebant, « id muneris suscepit Gelasius Papa pro Italia, atque ita orta est missa secundum ordinem Gelasianum. S. Gregorius iterum opus Gelasii inculcavit, multa addidit, mutavit, sustulit, atque inde profectus est *ordo Romanus*. S. Ambrosius eandem emendationem exorsus est, atque Ambrosianam peperit liturgiam. Musæus et Sidonius Apollinaris idem sine ulla dubitatione pro Gallia et Germania præstiterunt, unde vetus missa Gallicana exorta est, si modo a Gelasiana differat². » Quidquid sit, indubium est Ecclesias Galliarum habuisse ante Carolum Magnum ritus in multis dissimiles a Romanis, ex quibus nonnulli analogiam præferebant cum ritibus orientalibus. Quando abolita fuerit hæc liturgia Gallicana mox dicitur³.

Liturgia *Gothica* servabatur olim in Hispania: suum nomen accepit a populis Gothis qui illam ab Oriente in Hispanias induxerunt quinto sæculo, quando has regiones invaserunt. Sanctus Leander contemporaneus Gregorio Magno, et postea sanctus Isidorus Hispalensis, multas huic liturgiæ operas navaverunt; ejusdem autem ritus libros emendari curavit, sæculis subsequentibus, Cardinalis Ximenes.

529. — In hac rituum varietate, et libertate Episcopis data preces officii publici ordinandi, satis grave periculum Ecclesiis imminerebat; timendum quippe erat ne puritas fidei ac divini

¹ Thomasi opera, tom. VI. Præf., n° xxv. Ed. data studio Fr. Vezzosi.

² Card. Bona, tom. III *Appendices*, § 6.

³ Qui aliqualem notitiam veteris liturgiæ Gallicanæ sibi comparare voluerit, potest videre *Missale Francorum*, et *Gallicanum vetus*, quæ ediderunt Ven. Thomasi, tom. VI; Card. Bona, tom. I, lib. I, cap. xii; Mabillonius, *de Liturgia Gallicana*, lib. III; Lebrun multa ea de re disseruit, in libro *Explication de la messe*, tom. II, dissert. ii, iii, iv. Ibidem reperias notiones de liturgia Mozarabica, cum Missali Gothico.

cultus læderetur, seu negligentia, seu etiam quorundam Episcoporum dolo; eo minus insuper elucebat unitas sanctæ Ecclesiæ catholicæ, quo magis Ecclesiæ particulares aliæ ab aliis in suis officiis dissentire videbantur.

Ut præcaverentur pericula, concilia provincialia olim statuerunt ne singuli Episcopi, pro arbitrio, ritus immutarent, sed sequerentur ordinem Ecclesiæ Metropolitanæ, nec aliæ recitarentur preces in publicis officiis quam probata a synodo provinciali. Ita præ cæteris sanxerunt concilia Milevitanum, an. 416, Agathense, an. 506, Toletanum, an. 676, cujus canon in hunc modum refertur apud Gratianum, cap. *De iis*, 15, dist. XII: « Placuit concilio ut Metropolitanæ Sedis auctoritate coacti uniuscujusque provinciæ cives, rectoresque Ecclesiarum, unum eundemque in psallendo teneant modum quem in Metropolitana Sede cognoverint institutum; nec aliqua diversitate, cujusque ordinis vel officii, a Metropolitana se patiantur Sede disjungi. Sic enim justum est ut inde unusquisque sumat regulas magisterii, unde honoris consecrationem accipit, ut, juxta majorum decreta, Sedes quæ unicuique sacerdotalis dignitatis est mater, sit ecclesiasticæ magistra rationis... Sub ista ergo regula disciplinæ, non solum Metropolitanus totius suæ provinciæ pontifices vel sacerdotes adstringat; sed etiam cæteri Episcopi subjectos sibi Ecclesiarum rectores obtemperare his institutionibus cogant. »

Æquum omnino fuit ut eadem prorsus ratione qua Synodi provinciales enitebantur inducere uniformitatem disciplinæ cultus per provinciam, Sancta Apostolica Sedes similem perfectioremque studuerit uniformitatem inducere per omnem patriarchatum Ecclesiæ Romanæ, Matris et Magistræ aliarum Ecclesiarum. Periculo igitur varietatum ritus remedium afferre, necnon Ecclesiarum utilitati consulere, continuo labore curavit, promovendo unitatem liturgiæ. « Hæc semper fuerunt, ait Mabillonius, ardentissima studia SS. Pontificum ut Romanæ Ecclesiæ ritus aliis Ecclesiis approbarent ac persuaderent,

« rati, id quod erat, eas facilius in una fidei morumque concordia, atque obsequio Ecclesiæ Romanæ perstituras, si eisdem cæremoniis, eademque sacrorum forma continerentur. » (*De Liturgia Gallicana*, Præfatio, n° 2.) Nonnulla facta paucis referre liceat in hujus assertionis confirmationem.

1° Ineunte sæculo v, sanctus Innocentius I, in Epistola per celebri ad Decentium, questus est varietatem inductam fuisse in ordinibus et consecrationibus, dum unusquisque non quod traditum a sancto Petro, a quo omnes Ecclesiæ Occidentis habent originem, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum. Verba Innocentii referuntur quidem ad ritus sacramentales quos Ecclesia Romana acceperat a traditionibus B. Petri, aut venerabilium Petri successorum, sed satis insinuant cunctos Antistites Ecclesiarum occidentalium nihil ordinatius acturos in sacra liturgia, quam si Ecclesiæ Romanæ ritus servent: « Oportet eos sequi, ait Innocentius, quod Ecclesia Romana custodit a qua eos principium accepisse non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. »

2° Sæculo vi°, Vigilius papa dedit Profuturo, Episcopo Bracarenensi in Lusitania, volumen liturgiæ Romanæ, quod fideliter ab omnibus sequendum iudixit concilium Bracarense, an. 565 celebratum: agebatur in hocce decreto de ordine Missarum servando.

3° Sæculo vii°, sanctus Gregorius Magnus induxit ritus Romanos in Angliam opera sancti Augustini Cantuariensis; cui tamen facultatem concessit ut simul apud gentem Anglorum induceret quod bonum ac utile repererit, sive in Galliarum sive in qualibet alia Ecclesia. « Novit, inquit, Fraternitas Tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicorum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo

¹ Constant, *Epistolæ Rom. Pontificum*, 855, 856.

« placere possit, sollicite seligas, et in Anglorum Ecclesia, quæ
 « de multis Ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro
 « locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo
 « Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige et hæc
 « quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in con-
 « suetudinem depone. » (Dist. XII, cap. x.)

4^o Sæculo VIII^o, Paulus I et Adrianus cohortati sunt reges
 Francorum, Pippinum scilicet et Carolum Magnum, ut dese-
 rerent liturgiam Gallicanam, ei suffecta liturgia Romana;
 quamobrem Paulus I transmisit Antiphonarium Romanum, ut
 cantus romanus cum antiphonis et responsoriis introduceretur;
 Adrianus vero Sacramentarium Gregorianum. Reformationem,
 tametsi difficilem in praxi, ad exitum perduxit Carolus, in iis
 saltem quæ magis præcipua videbantur, « ut quibus, inquit,
 « erat compar ardor credendi, et quæ unitæ erant unius sanctæ
 « legis lectione, essent etiam unitæ unius modulationis vene-
 « randa traditione, et non sejungeret officiorum variata celebra-
 « tio, quas conjunxerat unius fidei pia devotio¹. » Notandum
 est mutationem, quamvis sibi summopere exoptatam, non præ-
 scripsisse Rom. Pontifices, qui non imperio sed suasionem et
 precibus apud principes uti maluerunt: id verisimiliter causa
 fuit cur Episcopi, non obstante introductione librorum Roma-
 norum, multa in plerisque provinciis retinuerint priscorum
 rituum... Conatus est etiam Carolus Magnus abolere liturgiam
 Ambrosianam in Italia, at incasso labore; impossibile namque
 fuit dimovere populum Mediolanensem a suis ritibus, quos sancti
 doctoris nomen sibi sacratiores reddebat².

5^o Sæculo XI^o, sanctus Gregorius VII abolevit liturgiam Gothi-
 cam. Populus clerusque Hispanus diu et fortiter huic refor-
 mationi obstitit; at reluctantes animos devicit constantia
 Gregorii, susculpta potestate principum sæcularium quos in suas

¹ Apud Card. Bona, *Rerum liturgicarum* lib. I, cap. XII.

² Cf. Lebrun, *Explication de la messe*, tom. II, n^o dissertation.

partes pontifex adduxerat. Postea tamen Julius II benigne annuit
 postulatis a Card. Ximenes, ut quædam Ecclesiæ Toleti liturgiam
 Mozarabicam conservarent. Ipse Cardinalis Ximenes curavit
 exemplar librorum hujus liturgiæ.

Hæc satis ostendunt quo conspiraverint studia SS. Pontificum
 per decursum priorum sæculorum; suæ autem sedis traditio-
 nibus inhærere Pontifices subsequentibus temporibus recentiora
 exempla comprobant.

550. — Dum SS. Pontifices Ecclesias Occidentis ad liturgiam
 Romanam adducere enitebantur, studebant libros rituales, ubi
 opus erat, reformare, novis exornare hymnis, orationibus, offi-
 ciisque Sanctorum. Sunt vestigia laborum sanctorum Gelasii et
 Gregorii Magni in *Sacramentalibus*, et studii aliorum Pontificum
 qui, pro temporum opportunitate, rei liturgiæ operas dederunt.
 Officium Romanum, sæculorum præteritorum incrementis auc-
 tum, abbreviavit S. Gregorius VII ad sui suæque curiæ usum,
 unde duplex ex illo tempore fuit in ipsa urbe Roma modus
 officii divini: alter brevior, quo utebatur curia Romana, seu
 capella pontificia; prolixior alter, cæteris Ecclesiis communis,
 donec omnes fere, si unam excipias Basilicam Lateranensem,
 priorem adoptaverunt. Sæculo XIII^o, Gregorius IX novam refor-
 mationem officii Romani aggressus est, cujus quidem negotii
 curam atque executionem demandavit P. Haymo, familiæ
 Franciscanæ præposito generali.

In quo factæ sint librorum liturgicorum revisiones ac refor-
 mationes, dictu difficile videtur, quia desunt exemplaria integra
 librorum quibus per decursum sæculorum Ecclesiæ usæ sunt,
 et qui inter se comparari queant. Id unum animadvertemus,
 non actum solummodo fuisse de nonnullarum precum intro-
 ductione, aut de litteraria correctione mendarum quæ incuria
 scriptorum forte irrepsissent. Multa olim usitata in sacris
 ritibus mutata sunt, novæ inductæ cæremoniæ, plura respon-
 soria aliorum loco suffecta, etc. Eadem ratione qua sanctus
 Gregorius nonnulla Sacramentarii Gelasii immutavit, succes-

sores Gregorii debuerunt, sæculis præsertim XII, XIII, XIV, non pauca reformare quæ casu inducta fuerant in liturgiam Romanam, cujus alterationis officiorum causas summam assignat auctor recens qui de re liturgica scripsit : « Ni saint Grégoire, ni « ses successeurs, n'avaient exigé que les diverses Églises d'Occi- « dent soumises à la liturgie romaine réformassent leurs livres, « d'après cette dernière révision (de S. Grégoire VII). Il en était « donc résulté une sorte de confusion qui devait nécessiter plus « tard une solennelle correction. Cette confusion était encore « accrue par les offices des Saints que l'on ajoutait de toutes « parts à l'ancien calendrier : ce qui, joint aux usages d'une « liturgie antérieure qui s'étaient conservés, quoique en petit « nombre, menaçait de plus en plus l'unité liturgique dans le « Patriarcat d'Occident, au moins pour les offices divins¹. »

531. — III^o *Quas reformationes tentaverit in liturgia divinorum officiorum, ac demum compleverit, Ecclesia Romana a sæculo xv^o ?*

I. Sancta Sedes tentamina reformationis inivit sub Pontificatu Leonis X, Clementis VII et Pauli III.

Leo X optavit reformare officium Romanum, quod sibi nimis imperfectum visum fuit ratione latinitatis et defectus critices ; ea quippe ætate instaurationis humanarum litterarum, plures exprobrabant libris liturgicis sæculorum præteritorum, styli deformitates et prolixitatem. Curam proinde commisit Ferrerio novos hymnos edendi, quos excusos Clemens VII approbavit, permittendo ut quilibet sacerdos iis uti valeret in recitatione officii divini. Nova hymnorum compositio novi etiam Breviarii editionem inducebat, quod Clemens VII a Quignones Cardinali tituli *Sanctæ Crucis* parari et confici voluit. Quignones novum Breviarium reipsa confecit, quod non minus recedebat a libris liturgicis huc usque adhibitis quam hymnorum Ferrerii. Dicere sufficiat Breviario detraxisse maximam partem

¹ Guéranger, *Institutions liturgiques*, tom. I, chap. XII, pag. 335.

antiphonarum, responsoriorum, versuum, homiliarum, et singulis horis, ne excepto quidem officio nocturno, tres tantummodo psalmos assignavisse.

Paulus III Breviarium sic reductum approbavit ac illo utendi facultatem concessit omnibus clericis qui petierunt, adeo ut vix prodierat quod jam in permultas Ecclesias Occidentis perlatum esset et adoptatum.

Attamen notare est libros liturgicos, sive Ferrerii, sive Card. Quignones, nunquam fuisse solemniter approbatos pro officio publico, nec Ecclesiæ universali a Sancta Sede propositos.

II. Aliam reformationem, ad præscriptum veterum traditionum liturgicarum, plures exoptarunt qui sua vota ad concilium Tridentinum pertulerunt. Paulus IV non minori zelo incensus quam sui prædecessores instaurandi libros liturgicos perfectiori methodo, eidem concilio commisit labores jam inceptos ad hunc finem assequendum. Cum vero ad tantum opus tempus sibi deesset, concilium rem omnem ad Sanctam Sedem in ultima sessione remisit.

S. Pius V, votis Ecclesiæ obsequens, reformavit Breviarium et Missale Romanum, quod utrumque duabus solemnibus Constitutionibus promulgavit, quibus simul abolevit alia quæcumque breviaria et missalia, quorum usu interdixit omnibus Ecclesiis et monasteriis, « illis tamen exceptis quæ ab ipsa « prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel consue- « tudine quæ ducentos annos antecedebat, aliis certis breviariis « usa fuisse constiterit ; quibus, ait S. Pius V, ut inveteratum « illud jus dicendi et psallendi suum officium non adimimus, « sic eisdem, si forte hoc nostrum... magis placeat, dummodo « Episcopus et universum capitulum in eo consentiant, ut id « in choro dicere et psallere possint, permittimus. » (Const. *Quod a nobis*, an. 1568.) Eadem præscripta sunt pro Missali Romano, altera Constitutione : *Quo primum*, an. 1570.

Ut reformatio integra perficeretur, Gregorius XIII calendarium correxerat et martyrologium ; Clemens VII edidit *Pontificale*

et *Cæremoniale* Episcoporum; Paulus V *Rituale Romanum*. Sixtus autem V instituit sacram Congregationem Rituum, quæ interpretaretur dubia orta circa regulas liturgicas et invigilaret correctioni librorum qui sacros ritus continent. Tandem, ut in futurum præcaveretur aliqua immutatio seu alteratio in exemplaribus Breviarii et Missalis, Clemens VIII indixit Inquisitoribus, atque Ordinariis locorum, ut nulli bibliopolæ facultatem concederent evulgandi Breviarium et Missale, nisi prius contulerint libros imprimendos et impressos cum exemplari recognito auctoritate Sedis Apostolicæ; et ut, in ipsa licentia, mentionem haberent de collatione facta, et quod omnino concordent, propria manu attestarentur. Graves censuræ sanciuntur in transgressores constitutionis. Antistites declarantur suspensi a divinis et ingressu Ecclesiæ interdicti, vicarii autem Episcopi, si regulas indictas ipsi neglexerint, privantur suis beneficiis, inhabiles declarantur ad alia obtinenda, et insuper in excommunicationem majorem incidunt.

* 532. — IV° *Quibusnam Ecclesiis Pius V imposuerit obligationem utendi Breviario et Missali Romano?*

Obligatio officium divinum recitandi Missasque celebrandi juxta Breviarium et Missale Romanum, auctoritate Pii V correctæ, non omnes Ecclesias attingit ab exordio: constitutiones siquidem *Quod a nobis*, et *Quo primum*, expressis verbis excipiebant a lege communi ecclesias, ordines et monasteria, quæ ab institutione approbata a Sancta Sede, vel a consuetudine 200 annorum, *certis Breviariis utebantur*. His proinde Ecclesiis, atque ordinibus seu monasteriis, non ademptum fuit *ius illud inveteratum dicendi suum officium*.

Plures ordines religiosi, ut Carthusiani, Dominicani, Carmelitæ, etc., sua Breviaria conservaverunt. Ecclesiæ orientales lege non tenebantur. In occidente ab eadem lege exemebantur Ecclesia Mediolanensis, Ecclesia Toletana, et aliæ Hispaniarum quibus servatus fuerat ritus Mozarabicus, plures Ecclesiæ Galliarum ac præsertim Parisiensis, quæ a

pluribus sæculis habebant facultatem, juxta suos ritus proprios, officium recitandi. « Les Églises de France, ait D. Guéranger, « avaient, à l'époque de la publication de la bulle, une liturgie « formée de la romaine et introduite par Charlemagne, et de « ces usages particuliers qu'elles y avaient ajoutés, ensemble « qui leur faisait honneur aux yeux de toute l'Europe, et « qu'elles pouvaient légitimement conserver aux termes de « la bulle. » (*Institutions liturgiques*, tome I, chap. xv, p. 457.)

Introductio librorum Romanorum in Galliis, tempore Pippini et Caroli Magni, abolevit veterem liturgiam Gallicanam quoad Missarum celebrationem; quoad autem alias partes officii divini, nullatenus existimaverunt Episcopi sibi ademptam libertatem nonnulla immutandi quæ minus opportuna visa fuerint, aliaque adjiciendi. Hanc fuisse mentem Caroli Magni ipse sua agendi ratione ostendit, cum, paucis a receptione librorum Romanorum elapsis annis, novum homiliarium confici curaverit, quod ad omnes Episcopos transmisit. (*Capitularia Regum Francorum*; Ed. Baluz., tom. I, fol. 204.)

Ecclesiis igitur Galliarum sua remansit liturgia particularis, quæ in multis differebat a liturgia Romana. « Quoique Charle- « magne, ait Boquillot, eût obligé les Églises de France à pren- « dre le Sacramentaire de S. Grégoire, il est manifeste qu'elles « ne prirent pas tout ce qui est dans ces livres, mais qu'elles « les accommodèrent à leurs usages anciens. » Retinuerunt utique: 1° Psalterium juxta emendatam translationem e græco in latinum, quod tunc vocabatur *Psalterium Gallicanum*, Romanis vetusta editione eo tempore utentibus; 2° quosdam ritus vetustiores liturgiæ Gallicanæ, quos superstites adhuc in recentioribus viri eruditi animadverterunt; 3° calendarium festorum proprium; 4° antiphonas, responsoria, hymnos et orationes quæ cum approbatione Episcoporum inserta sunt in officiis, et quorum plura decursu temporum translata sunt in libros Romanos; unde auctor recens mox citatus dixit: « Telle fut l'influence de

« l'Église de France sur la liturgie universelle. Elle servit à compléter, à perfectionner, à enrichir le répertoire grégorien¹. »

Inde concludas Ecclesias Galliarum, imprimis antiquiores, puta Lugdunensem et Parisiensem, non fuisse adstrictas vi Constitutionum sancti Pii V ad utendum Breviario et Missali Romano, cum, nedum a ducentis annis, quin etiam a primævis sæculis, suum proprium usum habuerint. Et hæc sunt motiva quibus capitulum Ecclesiæ Parisiensis inductum fuit ad retinendam liturgiam Parisiensem, quando Episcopus Petrus de Gondy, anno scilicet 1583, illius consilium super negotio exquisivit : « In primis, inquit, attenta antiquitate Breviarii et « Missalis Parisiensis, ex decretali novissimi usus Romani per- « missa, deinde cæremoniis ac ritu in quibus Ecclesia Parisien- « sis præ cæteris Galliæ, atque adeo totius fere orbis christiani, « Ecclesiis hucusque claruit, et ab omnibus videntibus et au- « dientibus, in summa admiratione, non sine gloria Dei, ha- « betur. »

ARTICULUS II. — DE JURE ORDINANDI ET IMMUTANDI RITUM
OFFICII DIVINI.

553. — *Ad quem pertineat jus statuendi de forma servanda in officio divino?*

I. Jus statuendi de forma divini officii, indicendo nimirum preces, cæremonias, ac ritus cultus publici, soli Ecclesiæ competit. Ordinatio divini cultus est causa ordinis supernaturalis, utpote quæ complectitur symbola fidei catholice, preces, cohortationes, aliaque ad exercitium virtutis religionis alimenta. Si quandoque principes christiani aliqua præscriperint aut immutaverint in iis quæ sunt officii divini, non exinde concludendum

¹ Boquillot, *Traité historique de la liturgie sacrée*, liv. I, chap. x. — Granelas, *Commentaire sur le bréviaire romain*, tome I. — D. Guéranger, *Institutions liturgiques*, tom. I, ch. xi.

aliquid juris illis competere in hac materia, vi potestatis sæcularis; sed dicendum est alios id egisse ex assensu saltem tacito Ecclesiæ, uti haud semel fecerunt piissimi reges quorum piam sollicitudinem S. Sedes laudibus extulit; alios autem usurpasse, præter fas, jura spiritualia, quod sæpius contigit sæculis proxime elapsis, in Germania, in Gallia, in Italia, cæterisque regionibus.

Sectæ Protestantium merito arguuntur erroris, et violati juris divini, ex eo quod veritæ non sint submittere sacram liturgiam imperio principum sæcularium.

554. — Potestas igitur officia divina ordinandi exclusive competit Ecclesiæ, scilicet Rom. Pontifici et Concilio generali. De Episcopis, an et ipsi in sua quisque diocesi valeant, cum debita subordinatione S. Pontifici, ordinare officium, quæstio sub duplici respectu considerari potest, juris scilicet divini et canonici.

I. Si juris divini rationem solummodo habeamus, abstrahendo a disciplina canonica, dicendum erit Episcopos habere potestatem propriam, tametsi summæ jurisdictioni Sedis Apostolicæ obnoxiam, ordinandi officium publicum in sua diocesi.

Episcopi sunt, divina ordinatione, doctores et pastores spirituales, quos Spiritus sanctus posuit pascere gregem Dei, et regere Ecclesiam: atqui dispositio divini officii ad illud pastorale ministerium suamet natura refertur... Præterea, per plura sæcula, singuli Episcopi, in sua quisque respective Ecclesia, jure potiti sunt preces, ritus cæremoniasque ordinandi, servata tamen lege hierarchiæ qua inferiores superioribus debitam obedientiam præstare tenentur; nihil reperitur in monumentis antiquitatis ex quo deducere debeamus id ipsis jure delegato concessum fuisse; ergo dicendum videtur fuisse potestatem jurisdictioni episcopali propriam. In eam sententiam convenerunt veteres doctores, qui data occasione disseruerunt de jure liturgico; unde P. Zacharia, pro indubitata assertionem, hanc propositionem emisit: « Ab Apostolis in Episcopos jus liturgicum